

Quaeres 9. *Utrum liceat in necessitate constituto aliena surripere?*

Resp. Licet in extrema necessitate, quia tunc omnia sunt communia; non licet in gravi, ut definiuit Innoc. XI. prop. 36. quia in ea, bona non sunt communia. Porro, si, post transactam extremam necessitatem, res ablata extet in specie, debet restitui, quia cessat jus ex necessitate ortum. Si non extet, nihil tenetur restituere, quia durante necessitate, in eam verum habuit dominium.

TRACTATUS XVI.

DE PECCATIS.

ARTICULUS I.

De Peccatis in communi.

Quaeres 1. *Quid sit peccatum?*

Resp. Definuitur a D. Aug. lib. 22. contra Faustum, cap. 27. *Dictum, factum, vel concupitum contra legem aeternam.* Haec definitio convenit omni peccato, tum *omissionis*, quia in moralibus affirmatio et negatio ad idem genus reduuntur; tum *original*, quia est factum non quidem voluntate propria, sed voluntate aliena, nempe, Adami, quae non erat solum voluntas privatae personae, sed etiam communis omnium hominum, quorum Adam erat caput. Tum *peccato veniali*, quia licet non sit contra finem legis, qui est charitas, est tamen contra legem secundum se spectatam.

Quaeres 2. *Unde peccatorum distinctio specifica desumenda sit?*

Resp. Desumitur 1. ex diverso motivo quo eadem res praecipitur, quia tunc duplex est objectum formale diversum: sic qui non observat jejunium praeceptum ab Ecclesia ex motivo religionis, et injunctum a Confessario ex motivo poenitentiae, duplex specie peccatum committit. . . . Desumitur 2. ex objecto formali, fine, et circumstantiis habentibus malitiam specie diversam, quia ab eis actus moralis desumit malitiam moralem.

Quaeres 3. *Quandonam actus moralis ex objecto, fine, et circumstantiis contrahit malitiam specie diversam?*

Resp. Contrahit 1. Quando diversis virtutibus est oppositus: sic percussio Clerici opponitur justitiae et religioni. 2. Quando opponitur diversis ejusdem virtutis officiis, ut odium Dei, et ommissio actus charitatis. 3. Quando opponitur eidem virtuti modo contrario, ut avaritia et prodigalitas. Vel modo diverso, licet non contrario: sic furtum, detractio, homicidium, &c. opponuntur virtuti justitiae.

Quaeres 4. *Unde desumatur distinctio peccatorum numerica?*

Resp. Desumitur 1. *Ex objecto materiali*, unde quando unus physice actus versatur circa plura objecta materialia, quae se habent per modum plurium, plura complectitur peccata; quia plures habet malitias. Sic qui duos homines odit, duos occidit, de duobus detrahit, duo peccata numero committit. 2. *Ex complemento plurium actuum circa idem objectum*; sic qui omnino successive bis se polluit, bis fornicatur, duo committit peccata numero distincta; econtra qui ex intentione fornicandi, puellam impudice respicit, osculatur, tangit, et tandem fornicatur, unum numero peccatum committit, tanto gravius tamen, quanto plura concurrunt, ait Div. Antonin. quia omnes illi actus ordinantur ad actum principalem, cujus sunt inchoationes. 3. *Ex morali interruptione quae in pluribus ejusdem speciei actibus reperitur*, quia per moralem interruptionem actus

humani multiplicantur moraliter. Sic qui visa puella eam impudice concupiscit, et postea a tali concupiscentia se divertit, ut alia cogitet, vel peccati poenitens hanc delectationem abjicit, vel etiam voluntarie ab actu cessat, v. gr. per somnum, statimque ad priorem delectationem revertitur, duo peccata committit.

Quaeres 5. *Utrum omnia peccata sint inter se connexa?*

Resp. negat. Quia privatio honestatis unius virtutis, non est connexa cum privatione honestatis alterius virtutis: nam qui violat justitiam, non violat misericordiam.

Quaeres 6. *An omnia peccata sint inter se aequalia?*

Resp. negat. Nam peccatum est majus vel minus pro majori vel minori rectitudine qua privat, unde Christus dixit Pilato: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Joann. 19.

Quaeres 7. *Quina sint peccatorum effectus?*

Resp. Sunt duo, scilicet reatus culpae et poenae. *Prior*, nihil aliud est quam peccatum habituale, id est, macula qua anima peccans inficitur. *Posterior*, est obligatio ad poenam. Utrumque existere fides docet, Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit Gehennae ignis.* Et Jerem. 2. *Maculata es in iniquitate tua coram me.*

Quaeres 8. *Quotuplex sit peccatum?*

Resp. Duplex, nempe, *originale*, quod aliena voluntate commissum, per viam generationis traducitur. Et *personale*, quod propria voluntate peccantis committitur, et duplex est, *actuale*, et *habituale*.

Quaeres 9. *Quotuplex sit peccatum actuale?*

Resp. 1. Dividitur, *ratione praecepti*, in peccatum *commissionis*, quo praeceptum negativum transgreditur. Et peccatum *omissionis*, quo praeceptum affirmativum transgreditur; ut ommissio sacri die festo.

2. Dividitur, *ratione causae*, in peccatum *ignorantiae*, quod ab ignorantia culpabili antecedente, voluntarium minuente, tanquam a causa per accidens, procedit. *Infirmilitatis*, quod procedit a passione antecedente, voluntatem ad consensum trahente, et *malitiae*, quod ex plena voluntate et libertate, absque ignorantia vel passione sensitiva antecederet incitante, committitur.

3. Dividitur, *ratione modi*, in peccatum *cordis*, quod ex natura sua in corde consummatur, ut odium; peccatum *oris*, quod ore perpetratur, ut perjurium; et peccatum *operis*, quod opere externo perficitur, ut adulterium.

4. Dividitur, *ratione objecti*, in peccatum contra Deum, quod specialiter opponitur reverentiae Deo debitae. *Contra proximum*, quod proximo nocumentum affert. Et *contra seipsum*, quo violatu ordo rationis, quem homo servare debet erga seipsum, pro reatae sui ipsius gubernatione, ut ebrietas.

5. Dividitur, *ratione effectus*, in *mortale*, quod mortem animae infert. Et *veniale*, quod leviter Deum offendit, nec mortem animae infert.

6. Tandem dividitur, in *capitale*, quod non solum est peccatum per se, sed et aliorum peccatorum radix et causa impulsiva. Et *non capitale*, quod ita est peccatum, ut non sit radix aliorum peccatorum.

ARTICULUS II.

De Peccatis in particulari.

§ I. De Peccato commissionis et omissionis.

Quaeres 1. *Utrum actus bonus, vel indifferens, qui cum omissione culpabili est conjunctus, et incompossibilis cum observantia praecepti, sit peccatum?*

Resp. Est peccatum, si sit omissionis causa, vel oc.

casio, ut si quis omittat sacrum ut studeat vel ludat, quia contrahit malitiam omissionis. Si vero tantum concomitanter se habeat ad omissionem, non est peccatum, quia non influit in omissionem.

Quaeres 2. *Utrum qui scienter, vel ex ignorantia culpabili ponit causam omissionis, vel se ipsius morali periculo exponit, eo ipso malitiam omissionis contrahat?*

Resp. affirm. Quia vult saltem indirecte et interpretative ipsam omissionem.

Quaeres 3. *Utrum omissio culpabilis in causa, sit etiam culpabilis in se, eo tempore quo omittitur praecceptum, etiamsi tunc homo non sit sui compos?*

Resp. affirm. Quia ut aliquid sit in se formaliter peccatum, sufficit quod indirecte et in sua causa sit voluntarium. Hinc poenitens tenetur aperire in confessione, non tantum omissionis causam, sed etiam ipsam omissionem actualem, quia cum posita fuit causa, fuit peccatum omissionis quoad affectum; cum vero, instante obligatione praeccepti, omissus fuit actus debitus, fuit peccatum omissionis quoad effectum.

§ II. De peccatis ignorantiae, infirmitatis, et malitiae.

Quaeres 1. *Utrum dentur peccata infirmitatis?*

Resp. affirm. Quia peccare possumus ex passione antecedente, voluntatem ad consensum trahente. Rom. 7. *Cum essemus in carne, passiones peccatorum operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti.*

Quaeres 2. *An dentur peccata malitiae?*

Resp. affirm. Nam dantur peccata, quae quis, nulla passione illectus, scienter et libere committit. De illis Job 34. dicit: *Quasi de industria recesserunt ab eo (Deo). Tale est peccatum ex habitu, quem peccans emendare non curat, ut docet Div. Thom. 1. 2. q. 78. art. 2.*

Quaeres 3. *Utrum dentur peccata ignorantiae?*

Resp. Dantur, ut fides docet, juxta illud Ps. 24. *Delicta juventutis meae, et ignorantias meas ne memineris.* Unde Levit. 5. praescribitur ritus sacrificii Deo pro peccatis ignorantiae offerendi.

Objicies. Ille non peccat, qui non agit contra conscientiam; sed qui ignorat actionem suam esse contra legem, non agit contra conscientiam; ergo &c.

Resp. Nego maj. Ut enim is, qui agit contra legem, immunis sit a peccato, non sufficit quod non agat contra conscientiam, sed insuper requiritur, ut invincibiliter ignoret actionem suam esse contra legem, alias error erit vincibilis, et consequenter culpabilis.

Ergo ad peccandum formaliter necessaria non est actualis cogitatio malitiae actionis, vel actuale de ea dubium; sed sufficit quod peccans possit et debeat advertere; tunc enim est voluntarium interpretativum, quod, juxta omnes, ad peccatum formale sufficit.

§ III. De peccatis oris, et cordis.

Quaeres 1. *Quaenam sint praecipua peccata oris et cordis?*

Resp. Sunt mendacium, et delectatio morosa.

Quaeres 2. *Quid sit mendacium?*

Resp. Est, locutio, aut quaelibet significatio contra mentem, cum intentione fallendi. Unde non tantum verbis, sed etiam nutu, gestu, et facto potest quis mentiri.

Quaeres 3. *Quotuplex sit mendacium?*

Resp. Triplex, nempe, officiosum, quod profertur alienae utilitatis causa; jocosum, quod profertur voluptatis propriae, vel alienae causa; et perniciosum, quod proximo vel religioni nocumentum infert.

Quaeres 4. *Utrum omne mendacium sit peccatum?*

Resp. Est peccatum, quia est intrinsece malum, et contra dictamen rationis, cum hac tamen differentia, quod mendacium perniciosum, sit mortale ex genere suo, cum opponatur charitati et justitiae erga proxi-

mum; *jocosum* autem, et *officiosum*, sint tantum venialia, quia, licet adversentur veritati, leviter tantum adversantur charitati.

Quaeres 5. *Quid sint aequivocatio et restrictio mentalis?*

Resp. Aequivocatio seu amphibologia, est *sermo ambiguus, habens duplicem sensum, quem proferens praevidet ab audiente accipiendum in alio sensu quam ipse intelligit.* . . . Restrictio mentalis est, *externae locutionis interna limitatio subaudita.* . . . Si sensus a loquente intentus, neque ex modo loquendi, neque ex signis aut circumstantiis, neque ex usu communi, possit deprehendi ab audiente, dicitur *pure mentalis*; si possit ex illis deprehendi, est *late mentalis*.

Quaeres 6. *Utrum aequivocatio et restrictio mentalis sint mendacia?*

Resp. 1. Si sint pure mentales, sunt mendacia: nam 1. D. Aug. *lib. de mendac. o. cap. 3.* dicit: *Ille mentitur, qui aliud habet in animo, et aliud verbis.* 2. Talis loquitur contra mentem, et proximum decipit: unde Innoc. XI. damnavit prop. contrariam nostrae doctrinae.

Resp. 2. Si sint late mentales, non sunt mendacia; quia qui eis utitur, nec contra mentem loquitur, nec decipit proximum, cum verum sensum percipere possit et debeat. Hinc ex gravi et justa causa uti licet restrictione late mentali.

Quaeres 7. *Quid sit delectatio morosa?*

Resp. Est, *actus voluntatis sibi complacentis in malo, vel displicentis in bono, absque intentione mali exequendi.* Dicitur, *morosa*, non a mora temporis, sed a mora voluntatis, quae, post turpis delectationis advertentiam, eam non repellit, ut potest et debet.

Quaeres 8. *Utrum consensus in delectationem morosam, sit peccatum?*

Resp. 1. Consensus formalis, aut virtualis in dele-

ctationem de aliqua re mortaliter mala, est peccatum mortale, ut constat apud omnes.

Resp. 2. Consensus negativus, quo quis, post sufficientem advertentiam, non reprimit delectationem circa illicita, sed mere negative se habet, neque consentiendo, neque dissentiendo, sufficit ad peccatum mortale. 1. Quando imminet periculum consensus positivi et formalis in delectationem, quia se exponit probabili periculo peccati mortalis. 2. Quando etiam abest tale periculum, quia potest et debet repelli, *nisi justa causa excuset*; ergo si non repellatur, erit interpretative voluntaria et peccaminosa.

Dixi, *Nisi justa causa excuset*; quia resistere concupiscentiis, est praeceptum affirmativum; ergo non obligat semper et pro semper; ergo potest dari aliqua causa justa, proter quam non sit peccatum voluntatem *mere negative* se habere ad ejusmodi delectationes, qualis est probabilis timor, ne ex majori resistentia delectatio augeatur, vel dimissio actionis honestae necessariae, vel utilis.

Quaeres 9. *Qualis sit delectatio morosa?*

Resp. Talis est, quale est ejus objectum. Si objectum non sit illicitum, non est illicita; si sit mortaliter aut venialiter malum, est mortaliter aut venialiter mala: quia affectus erga aliquam rem specificatur ab ipsa re quae est ejus objectum.

Ergo delectatio de sola cognitione rei, vel de modo ridiculo et miro quo res peracta est, non est peccatum, quia ejus objectum non est malum.

Ergo delectatio de actu intrinsece malo, per accidens citra culpam commisso, est peccatum, quia est de objecto graviter ex se illicito. Unde Innoc. XI. hanc prop. damnavit: *Licetum est filio gaudere de parricidio a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas.*

Ergo delectatio venerea quam percipit viduus de

copula praeterita, sponsus de copula futura, conjugatus de praeterita vel futura in absentia compartis, est peccatum mortale; quia effusio seminis est ipsis hic et nunc mortalis; ergo et delectatio venerea, quae ex natura sua ordinatur ad seminis effusionem.

Ergo delectatio spiritualis (id est, quae in sola voluntate residet, nec sentitur circa partes venereas) quam percipit viduus de copula praeterita, sponsus de futura, est per se mortalis, quia, ut sic, sunt constituti extra matrimonium, in quo solo licita est copula carnalis.

Ergo delectatio spiritualis quam alter conjugum percipit ex copula matrimoniali cogitata ut praesenti in absentia compartis, non est per se peccatum mortale; quia copula matrimonialis illi pro tali tempore est licita, quamvis per accidens non possit exerceri; ergo licita quoque est delectatio spiritualis de illius cogitatione.

Quaeres 10. *An liceat delectari de re mortaliter mala, sub hac conditione si non esset mala, aut prohibita?*

Resp. Non licet, si res sit intrinsece mala, quia nulla conditio apposita potest ejus malitiam tollere. Econtra, licet, si res sit tantum mala, quia est prohibita, quia conditio apposita malitiam tollit ab objecto ut repraesentatur. Hinc peccat, qui dicit: *Vellem fornicari, si non esset malum*: non peccat vero qui dicit: *Vellem comedere carnes, nisi esset jejunium*.

Quaeres 11. *An liceat delectari de bono effectu ex peccato secuto?*

Resp. Licet, quia objectum talis gaudii non est malum.

§ IV. De Peccato mortali et veniali.

Quaeres 1. *Utrum dentur peccata mortalia?*

Resp. affirm. Nam datur peccatum quod mortem

animae affert, Rom. 1. *Qui talia agunt, digni sunt morte.*

Quaeres 2. *Utrum malitia peccati mortalis, prout est offensa Dei, sit infinita?*

Resp. Est infinita secundum quid, objective, et extrinsece: quia offendit Deum, qui est dignitatis infinitae. Sed est intrinsece et simpliciter finita, quia habet terminum ultra quem potest extendi, nulla enim est offensa Dei, quae non possit esse major et minor intra eandem speciem.

Quaeres 3. *Quot requiruntur ad peccatum mortale?*

Resp. Tria, nempe, plena advertentia, perfectus consensus, et materia gravis in illis peccatis quae admittunt parvitatem materiae.

Quaeres 4. *Quot sint poenae peccati mortalis?*

Resp. Duae, nempe, *poena damni*, quae consistit in privatione visionis Dei, et *poena sensus*, quae consistit in dolore ignis infernalis. . . . utraque est aeterna, Isaiae 66. *Vermis eorum non moritur, et ignis eorum non extinguetur.*

Quaeres 5. *Utrum dentur peccata ex natura sua venialia?*

Resp. De fide est dari, quia sunt quaedam peccata quae ex se nec mortem animae inferunt, nec poenam aeternam merentur. Unde Pius V. et Gregor. XIII. hanc Baji prop. damnarunt. *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam.*

Objicies. Quodlibet peccatum est majus malum quam poena aeterna; ergo quodlibet per se meretur poenam aeternam.

Resp. Nego conseq. Equidem peccatum est majus malum quam poena aeterna, quae, cum sit malum inferioris ordinis, nunquam potest pertingere ad malum culpae, quae est superioris ordinis; sed non inde sequitur, quod levissimae culpae debeatur poena maxima,

eum, secundum iustitiae vindicativae exigentiam, poena debeat correspondere culpae, ideo culpae levi non nisi levis poena debetur.

Inst. Bonum opus salutare, vel levissimum, meretur vitam aeternam; ergo et peccatum levissimum meretur mortem aeternam.

Resp. Nego conseq. Disparitas est, quod omne opus bonum salutare ex imperio charitatis fiat, cui sane debetur vita aeterna; at leve peccatum non procedit ex odio Dei, cum justus, illud committens, in Dei amicitia habitualiter perseveret.

Quaeres 6. *Unde repetenda sit prima et praecipua differentia peccati venialis a mortali?*

Resp. Ex eo repeti debet, quod homo per peccatum mortale ita se avertat a Deo, ut, saltem virtualiter et interpretative, finem suum ultimum constituat in creatura, quam Deo praefert. Econtra per peccatum veniale homo nequidem virtualiter et interpretative finem suum ultimum ponit in creatura, cum eam deserere habitualiter sit dispositus, si illius amore Deum graviter offendi et penitus amitti intelligeret: unde plus semper appetitativè Deum diligit, quam creaturam.

Quaeres 7. *Utrum peccatum mortale ex genere suo possit feri veniale?*

Resp. Potest, 1. Propter defectum plenae advertentiae et pleni consensus, qui necessario requiruntur ad peccatum mortale. 2. Propter parvitatem materiae, nisi sit mortale *ex toto genere suo*, quia tunc non admittit levitatem materiae: talia sunt peccata contra Deum, religionem, Sacramenta, et ea quae gravem important corruptionem, ut luxuria, cujus omnis actus inchoata est pollutio.

Quaeres 8. *Utrum peccatum veniale disponat ad mortale?*

Resp. 1. Veniale *per accidens* disponit *directe* ad

mortale; nam qui saepe furatur parva, inclinatur ad furandum majora. 2. Veniale *ex genere suo* disponit *indirecte* ad mortale, nam Eccli. 19. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Quia peccatum veniale minuendo fervorem charitatis, auget cupiditatem, et impedit specialem Dei providentiam, qua tentationes et pericula removebat, et uberiores gratias largiebatur.

Quaeres 9. *Utrum peccatum veniale ex genere suo, possit feri mortale?*

Resp. Non potest *per se*, id est, propter solam sui multiplicationem, quia differt essentialiter a mortali. Potest tamen *per accidens*, nempe per additionem circumstantiae mortaliter malae: hocque contingit. 1. Ratione pravae dispositionis agentis, qui ita est affectus, ut id quod facit adhuc faceret etiamsi sciret illud esse peccatum mortale. 2. Ratione finis mortaliter mali. 3. Ratione gravis scandali. 4. Ratione proximi periculi mortaliter peccandi. 5. Ratione contemptus formalis praecepti, vel superioris. 6. Tandem ratione connexionis et moralis materiae unionis, circa quam:

Quaeres 10. *Quomodo materiae leves, inter se moraliter uniantur ad constituendum unum peccatum mortale?*

Resp. Uniuntur 1. *Per intentionis affectum*: sic qui apud se proponit singulis diebus per duos menses furari unum assem, toties quoties unum assem furatur, peccat mortaliter, quia ex intentione summae totalis furatur. 2. *Per ordinem quem materiae leves habet ad unam numero obligationem*: sic peccat mortaliter qui saepius in die jejunii pauca comedit, ex quibus conjunctim sumptis oritur notabilis quantitas. 3. *Per summam integram, quam constituunt*: sic qui, etiam absque intentione plura furandi, quotidie unum assem furatur, peccat mortaliter cum pervenit ad gravem quantitatem.

Quaeres 11. *Quot assignantur poenae peccati venialis?*

Resp. Quatuor: 1. Consistit in hujus vitae adversis, morbis, ac etiam morte temporali, ut constat exemplo Moysis, uxoris Loth, &c. 2. Est gratiae uberioris subtractio. 3. Est diminutio fervoris charitatis, et familiaritatis cum Deo. 4. Est gravissimi ignis purgatorii percussio tempranea, saltem in his qui in Domino moriuntur.

§ V. De Peccatis capitalibus.

Quaeres 1. *Quot sint peccata capitalia?*

Resp. Sunt septem: superbia, avaritia, invidia, ira, acedia, gula, et luxuria.

Quaeres 2. *Quid sit superbia?*

Resp. Est, *inordinatus appetitus propriae excellentiae*. Quae inordinatio oritur 1. *Ex defectu humilitatis*, quo superbus superioribus subjici recusat. 2. *Ex defectu magnanimitatis*, quo superbus quae sunt supra conditionem suam praesumptuose appetit.

Quaeres 3. *Quotplex distinguitur superbia?*

Resp. Duplex, nempe *perfecta*, qua quis bona, quae gratuito recepit a Deo, aestimat a semetipso habere, vel pro suis meritis accepisse: Et *imperfecta*, qua quis, agnoscens se omnia Deo debere, caeteris plus aequae se effert, vel qua bona, quae non habet, arrogat sibi, sive in sua, sive in aliorum opinione.

Quaeres 4. *Quale sit peccatum superbia?*

Resp. Superbia *perfecta*, est peccatum mortale ex genere suo, quia repugnat charitati Dei, qui per superbiam contemnitur. *Imperfecta* vero est solum veniale ex genere suo, quia charitati non graviter repugnat.

Quaeres 5. *Quid sit ira?*

Resp. Est, *inordinatus appetitus vindictae, aut quasi vindictae*. Illa inordinatio oriri potest, 1. *Ex parte objecti*, cum nempe quis optat vindictam ei qui non meruit, vel majorem quam meruit, vel inferendam sine justa auctoritate. 2. *Ex parte modi*, ut si quis nimis

ardenter irascatur interius, vel si nimis exterius manifestet signa irae, ait D. Thom. q. 158.

Quaeres 6. *Quale sit peccatum ira?*

Resp. Si sit inordinata ex parte objecti, est peccatum mortale ex genere suo, cum sit contra charitatem et justitiam. Si vero sit inordinata ex parte modi tantum, *secundum se non habet ex genere suo rationem peccati mortalis*, ait Div. Thom. ibidem.

Quaeres 7. *Quid sit avaritia?*

Resp. Est, *inordinatus appetitus divitiarum*. Est autem inordinatus, 1. *Ratione objecti*, dum nempe aliena concupiscimus. 2. *Ratione finis*, dum finem nostrum in divitiis constituimus. 3. *Ratione excessus*, dum opes ita congerimus, ut nullum iis congerendis modum statuamus.

Quaeres 8. *Quale sit peccatum avaritia?*

Resp. Est mortale ex genere suo dum charitati vel justitiae adversatur, nam, *neque fures, neque avari regno Dei possidebunt*, 1. Cor. 6.

Quaeres 9. *Quid sit invidia?*

Resp. Est, *tristitia de bono proximi, quatenus est propriae excellentiae imminutivum*. . . . est mortale ex genere suo, quia opponitur charitati, cujus proprium est de bono proximi gaudere, et de illius malo dolere. Hinc ad Galat. 5. *invidia dicitur excludere a regno Dei*.

Quaeres 10. *Quid sit acedia?*

Resp. Est, *tristitia et taedium de bonis divinis, ut ad nos pertinentibus*. Ut si quis doleat, quod Deus sit beatitudo nostra, eo quod haec beatitudo non possit sine difficili virtutum exercitio obtineri. . . . Est peccatum mortale ex genere suo, quia graviter charitati Dei repugnat; per eam enim parvipenduntur amicitia Dei et aeterna beatitudo.

Quaeres 11. *Quid sit gula?*

Resp. Est, *inordinatus appetitus cibi et potus*. Porro est inordinatus quinque modis hoc versu contentis:

Praepropere, laute, nimis, ardentem, studiose.

Quaeres 12. *Quale sit peccatum gula?*

Resp. cum D. Thom. Est peccatum mortale, quando homo finem suum constituit in delectatione gulae, paratus scilicet contra praecepta Dei agere, ut delectationes huiusmodi assequatur; alias est solum veniale per se, potest tamen fieri mortale ex circumstantiis.

Quaeres 13. *Quot sint species gulae?*

Resp. Duae, nempe, *crapula*, quae est excessus, quo quis omnino sanus ita cibis sese ingurgitat, ut ad vomitum moveatur; est mortale ex genere suo, quia naturae rationali gravissime repugnat. Et *ebrietas*, quae est excessus voluntarius in potu usque ad violentam privationem usus rationis. est peccatum mortale ex genere suo, cum sese privare usu rationis sit gravis inordinatio: *Nolite errare*, inquit Apost. 1. Cor. 6. *neque fornicarii, neque idolis servientes. . . . neque ebriosi. . . . regnum Dei possidebunt.* Ergo cum ebrietas sit intrinsece mala, nullo unquam casu potest esse licita.

Quaeres 14. *Quid sit luxuria?*

Resp. Est, *inordinatus voluptatis venereae appetitus, vel usus.* Est peccatum mortale ex toto genere suo. Unde non datur parvitas materiae in delectatione venerea, cum ex natura sua ordinetur ad seminis effusionem, sitque inchoatio quaedam illius.

Quaeres 15. *Quot sint species luxuriae?*

Resp. Septem, nempe, simplex fornicatio, stuprum, raptus, adulterium, incestus, sacrilegium, et peccatum contra naturam.

Quaeres 16. *Quid sit simplex fornicatio?*

Resp. Est, *copula carnalis soluti cum soluta corrupta.* Est peccatum mortale jure naturali prohibitum, cum adversetur debitae educationi et instructioni prolis: Eph.

5. *Omnis fornicator non habet haereditatem in regno Dei et Christi.*

Quaeres 17. *Quid sit adulterium?*

Resp. Est, *copula inter personas, quarum, alterutra, vel utraque conjuncta est matrimonio cum alia tertia.* Est gravissimum peccatum contra castitatem, et justitiam debitam comparti, quae juri suo cedere non potest, ut definivit Innocent. XI. prop. 50.

Quaeres 18. *Quid sit stuprum?*

Resp. Est, *illicita virginis defloratio.* Est peccatum gravius simplici fornicatione, in quo, ultra specialem deformitatem amissi signaculi virginitatis, duplex reperitur injuria, una ex parte defloratae, altera ex parte parentum, sub cujus est custodia; illorum enim jus violatur.

Quaeres 19. *Quid sit raptus?*

Resp. Est, *violenta alicujus personae obductio, libidinis explendae causa.* Est peccatum mortale duplicem continens malitiam, unam contra castitatem, alteram contra justitiam, ob injuriam abductionis, propter quam gravissimae in utroque jure statuuntur poenae.

Quaeres 20. *Quid sit incestus?*

Resp. Est, *peccatum luxuriae inter personas consanguineas, vel affines, intra gradus prohibitos.* Est peccatum gravissimum, quod, praeter luxuriae foeditatem, continet turpitudinem contrariam reverentiae consanguineis aut affinibus debitae, graviusque est quo gradus est propinquior, et ideo gravitas incestus declaranda est in confessione.

Quaeres 21. *Quid sit sacrilegium venereum?*

Resp. Est, *rei sacrae violatio per actum venereum.* Dicitur, *Rei sacrae*: per quam intelligitur, tum locus sacer qui violatur per voluntariam effusionem seminis; tum persona sacra quae committit peccatum luxuriae, vel cum qua committitur. . . . est peccatum gravissimum continens duplicem malitiam, unam contra castitatem, alteram contra religionem.

Quaeres 22. *Quotuplex est peccatum contra naturam?*

Resp. Quadruplex: pollutio, sodomia, bestialitas, et inordinatus concubitus.

Pollutio, Est, *voluntaria seminis effusio extra copulam quamcumque*. Est peccatum mortale per se, cum sit intrinsece mala; et quidem gravius fornicatione, quia directe tollit generationem; ergo nullo casu, etiam vitandae mortis, est licita.

Sodomia, Est, *coitus libidinosus personarum ejusdem sexus*, sit sit perfecta, *vel diversi sexus in vase indebito*, si sit imperfecta. Est peccatum nefandum, quod poena mortis punitur, juxta leges; et excommunicatione, juxta canones.

Bestialitas, Est, *coitus cum bestia*: est peccatum horrendum, quod igne punitur a legibus.

Inordinatus concubitus, Est, *is in quo non servatur naturalis ordo concubendi*. Si in tali deorinatione sit periculum semen extra vas effundendi, impediendi generationem, aut prolem conceptam suffocandi, est peccatum mortale, quia semen frustratur fine ad quem ordinatum est; si haec absint, est grave peccatum veniale, a quo excusantur conjuges, qui ob indispositionem alterutrius corporis, non possunt servare modum ordinarium, modo caveatur periculum effusionis extra vas.

§ VI. De peccato originali.

Quaeres 1. *Utrum existat peccatum originale?*

Resp. Existere fide constat; nam 1. id asseritur in veteri testamento, Job 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? Quem locum sic vertunt Septuaginta: Nemo mundus a sorde, neque infans, cujus vita est unius diei super terram.* Certe immunditia illa non est corporea, ut vo-

lunt Sociniani, alias ab homine posset mundari; est ergo immunditia peccati, quae a solo Deo potest mundari.... 2. Idem asseritur in novo testamento, Rom. 5. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt....* 3. Id Ecclesia definiit in Conciliis Palaestino contra Pelagianos, et Trid. contra Anabaptistas, &c. 4. Id constat tum ex necessitate Baptismi, tum ex redemptione per Christum, qui mortuus est pro omnibus, ex quo Apostolus concludit: *Ergo omnes mortui sunt*, 2. Cor. 5.

Objicies 1. Ezeq. 18. *Anima quae peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris*; ergo.

Resp. Nego conseq. Namque peccatum originale non est peccatum Adami, sed ex Conc. Trid. sess. 5. can. 3. *Inest cuique proprium*. 2. Propheta loquitur de peccatis personalibus.

Objicies 2. Rom. 5. *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem praevagationis Adae*. Ergo sola mors ab Adamo contrahitur.

Resp. Nego conseq. Mors enim, quae regnavit usque ad Moysen, est poena justa; ergo supponit peccatum, Rom. 6. *Stipendia peccati mors*; atqui non supponit peccatum personale in eis qui non peccaverunt in similitudinem praevagationis Adae; ergo supponit originale.

Quaeres 2. *In quo formaliter consistat peccatum originale?*

Resp. Consistit in habituali privatione conformitatis ad legem, quam Adam caput nostrum transgressus est, et quam nos ejus voluntate transgressi sumus: nam illud est peccatum originale formaliter, quod Adamus in nos vere, proprie, et intrinsece transfudit; atqui Adamus, transacto actu peccati, in nos vere et intrin-

sece transfudit habituales privationem conformitatis ad legem, quam, ut caput nostrum, transgressus est; ergo, &c. *Prob. min.* Adamus in eos transfudit quod in eo post ejus actuale peccatum mansit, et a quo ipsi et ejus posterii denominantur peccatores; atque in eo mansit habitualis privatio conformitatis ad legem; ergo.

Quaeres 3. *Quaenam est causa proxima transfusionis peccati originalis?*

Resp. Est seminalis generatio ab Adamo, in quo, tanquam in capite morali, Deus omnium ejus posterorum voluntates inclusit in ordine ad observationem vel transgressionem praecepti de non comedendo fructu vetito. Ita expresse definitur a Concilio Trid. sess. 5. can. 3. *Revera homines, nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur injusti, cum ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant.* Hinc etiam dicimur ab Apostolo Ephes. 2. *natura filii irae*, id est, generatione. Ratio D. Thom. q. 81. art. 4. est, quia, *peccatum originale a primo parente traducitur in posteros in quantum moventur ab ipso per generationem, sicut membra moventur ab anima ad peccatum actuale.*

Quaeres 4. *Utrum filii fidelium contrahant peccatum originale?*

Resp. affirm. Nam omnes, qui via generationis naturali descendunt ab Adamo, illud contrahunt, nisi speciali privilegio a lege communi eximantur; unde Apost. Ephes. 1, de seipso et aliis filiis fidelium dicit: *Eramus natura filii irae, sicut et caeteri.*

Quaeres 5. *Utrum B. Virgo contraxerit peccatum originale?*

Resp. Debuit equidem contrahere peccatum originale, quia est vera filia Adae, a quo processit per seminalem generationem, sed non contraxit actu quia ab eo fuit praeservata per Christum, ut pro certo uni-

versa tenet Ecclesia. Unde licet propositio non sit de fide, quia nondum definita, est tamen fidei consona, ut declaravit Conc. Basileense; et Concil. Trid. sess. 5. declarat, *non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem, sed observandas esse Constitutiones Sixti IV. Papae sub poenis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat.*

Objicies. Lex peccati originalis contrahendi comprehendit omnes ab Adamo descendentes; ergo.

Resp. Dist. ant. Comprehendit omnes, &c. quando nullum est privilegium eximens a lege communi, *conc.* quando adest tale privilegium, *nego.* Porro hoc privilegium habuit B. Virgo, quae in locutionibus Scripturae generalibus non comprehenditur, quales sunt istae, quibus adstruitur generalitas peccati actualis: *Non est homo qui non peccet, in multis offendimus omnes, ut juxta Trident. tenet Ecclesia Catholica.*

Inst. De fide est B. Virginem a Christo fuisse redemptam; ergo contraxit peccatum originale.

Resp. Dist. conseq. Contraxit peccatum originale quoad debitum, *conc.* quoad actum, *nego.* Christus ergo sua redemptione fecit ut B. Virgo non contraheret actu et in se peccatum originale, ad quod contrahendum erat obnoxia; et hic modus redimendi est nobilissimus.

Quaeres 6. *Quaenam sunt poenae peccati originalis?*

Resp. Aliae spectant corpus, aliae animam, aliae hanc, aliae alteram vitam.

Quaeres 7. *Quaenam sint poenae corporis in hac vita?*

Resp. Sunt mors, morbi, dolores et aliae miseriae, ut de fide definiit Concil. Trident. Sess. 5. can. 1.

Quaeres 8. *Quaenam sint poenae animae in hac vita?*

Resp. Sunt 1. privatio omnium donorum gratuito-

rum, scilicet justitiae originalis, et gratiae sanctificantis. 2. Quadruplex vulnus in anima, nempe, ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, concupiscentia in appetitu concupisibili, infirmitas in irascibili.

Quaeres 9. *Quaenam sint poenae peccati originalis in altera vita?*

Resp. De fide certum est parvulos sine Baptismo decedentes non solum excludi a regno coelorum, sed etiam privari vita aeterna, ut Ecclesia definit in variis Conciliis contra Pelagianos, et confirmavit Concil. Trid. sess. 5. can. 4.

Quaeres 10. *Utrum infantes, sine Baptismo mortui, fruuntur beatitudine naturali?*

Resp. Fictitia est illa beatitudo quam infantibus illis assignant Catharinus, et Cardin. Sfrondatus, quia pugnat contra Ecclesiae traditionem: nam Conc. Flor. sess. ult. definit: *Illorum animas qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.* Atqui animae, quae in inferno poenis puniuntur carent sane beatitudine naturali; ergo, &c.

Quaeres 11. *Utrum parvuli cum solo originali decedentes patiantur poenam ignis?*

Resp. negat. Nam Apoc. 18. dicitur: *Quantum se glorificavit, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum;* sed in culpa originali nulla fuit delictatio; ergo. Unde Innoc. III. *cap. Majores, de Bapt.* ait: *Poenae originalis peccati, est carentia visionis Dei; actualis vero peccati, est gehennae perpetuae cruciatus.* Ubi prior pars videtur intelligenda de carentia visionis Dei cum exclusione cruciatus gehennae.

Objicies. SS. Patres, August. Fulgentius, Greg. Magnus, affirmant infantes sine Baptismo decedentes ituros in ignem aeternum, juxta sententiam Domini: *Ite, maledicti, in ignem aeternum.* Ergo.

Respondent D. Thom. quaest. 5. de malo, art. 2. ad

1. *Dicendum quod nomen tormenti, supplicii, gehennae, et cruciatus, vel si quid simile in dictis SS. Patrum inveniatur, est large accipiendum pro poena, ita ut ponatur species pro genere. Ideo autem Sancti tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant in parvulis nullum peccatum esse, nec eis aliquam poenam deberi.* Ita etiam respondet D. Bonaventura in 2. dist. 33. art. 3. q. 1.

TRACTATUS XVII.

DE SACRAMENTIS.

Nota. **H**ujus Tractatus erunt octo Dissertationes de Sacramentis in genere, et singulis in particulari.

DISSERTATIO I.

De Sacramentis in genere.

Nota. **S**acramentum hic sumitur pro signo quod nos Deo sacrat, atque sanctificat, cujus inquirimus 1. Essentiam, existentiam, et auctorem. 2. Materiam et formam. 3. Ministrum. 4. Subjectum. 5. Effectus. 6. Caeremonias. Itaque sit.

§. I. De essentia, existentia, et auctore Sacramentorum.

Quaeres 1. *Quid sit Sacramentum generice sumptum?*

Tom. II.